בג״ה

# ΛΥΜΠΙΚΟΣ
# ΑΓΩΝ

*deſcriptus*

DISSERTATIONE HISTORICO-
CHRONOLOGICA,

*Quam*

*Sub PRÆSIDIO*

VIRI

*urimum Reverendi, Amplisſimi atq; Excellentisſimi*

N. ÆGIDII STRAUCHII, S.S.
HEOL. LIC. MATHEM. PROF. PUBL.
ET HISTOR. SUBSTITUTI

*Dn. Præceptoris ac Patroni ſummè colendi,*

publico συμφιλολογȣ́ντων examini exhibet

VOLFGANGUS JACOBUS FRÖLINGIUS,
HAMBURGENSIS.

*A. D. 17. Apr. A. C. M DC LXI.*

*WITTEBERGÆ,*
Typis MICHAELIS Wendt.
Anno cIↃ IↃc LXX.

58700 (8)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

# A. Ω.

QUod acturis de re quapiam ſolenne eſſe ſolet, commendare nempe materiam, quam præ manibus habent, ſi & nos pro rei dignitate obſervare in præſenti vellemus, verendum eſſet, ut ſcopum aſſequeremur nobis præfixum, h.e. ut brevi quâdam & Academicô ſtylô conceptâ Diſſertatione prolixam explanemus hiſtoriam. Tot enim & tanta de Inſtituto Olympiadicorum certaminum præfari poſſemus, quæ ad juſtũ librum componendum viderentur ſufficere. *Hoc* unum dixiſſe ſatis eſt, in profana hiſtoria, quatenus eadem è Græcis ſcriptoribus cognoſcenda eſt, infeliciter verſari eum, cui de celeberrima illa Olympiadum Panegyride nihil, vel parum conſtat; Ab eadem enim, tanquam certisſima temporum Epocha, Græci Annales ſuos ordiuntur, & res geſtas, ad Olympiadicos annos, à Ludis nomen nactos, appendunt, ut cauſam gravisſimam *VARRO* olim habuerint, tria temporum diſcrimina annotandi, cujus mentem *CENSORINUS* explicat de Die Natali c. XXI. *Primum*, inquit, ab hominum principio, usque ad Cataclyſmum priorem decurrit, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον (Gentilibus puta, fidelibus enim ex Inſtrumentis Teſtamenti Veteris ἔυδηλον eſt.) *Secundum* à Cataclyſmo priore usq; ad Olympiadem primã, quod à fabulis, quibꝰ operam dederunt horum temporum Scriptores, μυθικὸν ſeu fabuloſum dicitur. *Tertium* demum à prima Olympiade, ad noſtra usq;, continuata tẽpora cõplectitur, quod ἱστορικὸν appellãt, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. Ad amusſim hæc conveniunt cum *JUSTINI MARTYRIS* obſervatione, quæ in Ejusdem λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας extat: Ἄλλως τε οὐδὲ τοῦτο ἀγνοεῖν ἡμᾶς προσήκει, ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι περὶ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, οὐδ' ἔστι τι σύγγραμμα παλαιὸν, Ἑλλήνων ἢ Βαρβάρων

σημαίνον πεάξιν. *Nequaquàm vos ignorare decet, nihil à Græcis an te Olympiades accuratè ſcriptum eſſe, neque ullam Scripturam veterem haberi, quæ indicet Græcorum vel Barbarorum acta.* Et iterum *AFRICANUS* apud Euſebium de Præpar. Evangel. c. X. in eandem ſententiam inquit: Μέχρι τῶν Ὀλυμπιάδων ἐδὲν ἀκριβὲς ἱσόρηται τοῖς ἕλλησιν. *Ante Olympiades nulla eſt apud Græcos accuratè ſcripta hiſtoria.* Ab Olympiadib9; ergo cùm Græca hiſtoria deducenda ſit, tanto magis illæ conſiderationem merentur, quanto illud præſtat, quod ab iisdem Antiquitatum ſtudioſus mutuatur. Agemus itaque in præſenti, rei utilitate & jucunditate illecti, de Olympiadicis Solemnitatibus & de iisdem, è fide dignis Autoribus pauca quædam commentabimur, quod ut feliciter fiat, *FAXIT TRINUNUS RECTOR OLYMPI!*

§. 1. Ut à nomine, quod methodi leges jubent, ordiamur, ejusdem origo ſatis patet, Olympiades nempe à *JOVE* dici *OLYMPIO*, more genticô à Græcis Numinis inſtar habito; Frequentisſimum enim Jovis cognomen erat, quô Olympius vocabatur, & tum alibi pasſim, tum imprimis in ſuperſtitioſis precibus, quas ad eum fundebant, uſitatisſimum. Ita *SOLON* in Elegiis.

Μνημοσύνης καὶ ζηνὸς Ὀλυμπίε ἀγλαὰ τέκνα·
Μῦσαι Πιερίδες κλῦτέ μοι εὐχομένῳ.

Et qvamvis *LUDOV. CÆLIUS RHODIGINUS* Antiq. Lection. L. XX. c. XIII. referat, Diodorum aſſerere, quod Jupiter ab Olympo quodam præfecto, abs quo ingenii cultum acceperit, nomen habeat, ſimplicior tamen eorum videtur opinio, qui concretum Ὀλύμπιος ab abſtracto Ὄλυμπος derivant, uti à cœlo cœleſtis deſcendit; Ὄλυμπος, ὁ ἐρανός, οἱονεὶ ὁλόλαμπος. θεῦ οἰκητήριον. Ὄλυμπος *cœlum ſignificat, quod totum ſit lucidum, DEI nempe domicilium*, inquit, *SUIDAS.* Itaq; à Cœlo tanquam habitaculo ſuo non tantum Jupiter Olympius dictus eſt, ſed nonnunquam vox ipſa ὀλύμπε pro Jove uſurpari videtur, quando enim *VIRGILIUS* L. X. auſpicatur:

*Panditur intereà domus omnipotentis Olympi.*

ab

ab interpretibus per Olympum Jupiter intelligitur. Neq; veriſimile videtur, adverſus exemplarium fidem, pro voce *Omnipotentis* ſubſtituendum eſſe, *omnipatentis*, imprimis cum *NÆVIUS* quoq; ante Virgilium idem carmen cecinerit, ſolô Epithetô immutatô:

*Panditur intereà domus altitonantis Olympi.*

Quod ſi tamen aliquis per Olympum cœlum intelligendum eſſe perſvaſus ſit, eidem in re quæ alias exigui ponderis eſt morosè non refragabimur, cum recordemur alterius Poetæ carminis:

*Junonem intereà Rex omnipotentis Olympi*
*Alloquitur &c.*

Et ſenſus quidem manifeſtus eſt, ſi *ADRIANI TURNEBII* attendamus Criticam: *ut reor*, Adverſar. L.XXIX. cap. XXIV. inquit, *inde dicitur omnipotens non tantum, quod omnia poſſit, ſed etiam quod omnibus potitur, & Horat. L. I. Od. V.*

Suſpendiſſe potenti Veſtimenta maris Deo, *cum dixit, Neptunum intellexit, qui mare potitur, & cujus mare ſors eſt.*

§. 2. Ad indaginem nominis non parum conducit, ſi perpendamus, locum, in quo celeberrimi Græcorum ludi inſtituti ſunt, *OLYMPIAM* vocari conſveviſſe; Ita enim *STRABO* L. 8. Geograph. Οὐδ᾽ ἐν Ἠλείᾳ συνετελέσθη ὁ ὀλυμπιακὸς ἄγων, οὐδ᾽ ἅπαξ, ἀλλ᾽ ἀεὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ. Nec ſemel quidem in Elea certamen Olympicum fuit celebratum: Olympiæ ſemper. Fuit autem Olympia locus quidam ſacer, quem Strabo loco citato, & paulo ante dilucidè deſcribit: In Piſæo agro, *inquit*, templum eſt, Stadiis non omnino CCC. ab Elide ſitum: ante id jacet lucus oleaſtris conſitus, in quo eſt ſtadium. Præterfluit autem Alpheus ex Arcadia in mare Triphyliacum, inter occaſum & meridiem ſe effundens. Illuſtris primùm facta eſt Olympia oraculis, quæ ibi Olympius edebat Jupiter: quæ poſtquam deſierunt, nihilominus tamen ſua templo manſit gloria, & ad id, quod notum eſt, incrementi pervenit, propter ſolennem conventum & Olympicum certamen, quô & coronantur victores, & ſacrum habetur, omniumque eſt maximum. Ornatum autem eſt templum donariis ex univerſa Græcia ibidem dedicatis. Inter hæc eſt

etiam Jupiter ex auro ductus, donum Cypſeli Corinthiorum tyranni. Maximum in his fuit eburnum Jovis ſimulacrum, quod Pheidias Charmini F. Athenienſis fecit, tantæ magnitudinis, ut quanquam templum eſt maximum, tamen videatur malam proportionis rationem habuiſſe architechtus. (ita enim in textu Strabonis legendum eſſe, monet *CASAUBONUS*: *δοκεῖν ἀστοχῆσαι τῆς συμμετρίας τὸν τεχνίτην*, non uti *XYLANDER* legit; *ἐστοχῆσαι*.) Nam ſedentem finxit, ita ut vertice culmen propemodum tangat, & ex ipſa ſpecie appareat, eum ſi ſurgeret, ſeque erigeret, tecto templum nudaturum eſſe. Exemplar, quod artifex in hoc ſimulacro exprimere voluerit, dicitur illud fuiſſe, quod ſequentibus verſibus Homerus propoſuit in Iliad.

*Ἦ δὲ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.*
*Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπ᾽ ἐρρώσαντο ἄνακτος,*
*Κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο, μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον.*

*XYLANDER* verſibus latinis ſequentibus Græci Poetæ ſenſum expreſſit:

*Dixit, cæruleisq; ſuperciliis Superûm Rex*
*Annuit, Ambroſiosq; æterno in vertice crines*
*Concusſit, nutuq; almum tremefecit Olympum.*

Fieri ergo potuit, imo quod factum illud ſit plusquam probabile eſt, ab Olympo Jovem Olympium, ab hoc templum à templo locum, Olympiam, ab Olympia demum ludos Olympiadicos dictos eſſe, uti *ἴσθμια*, *νέμεα*, *καὶ πύθια*, quæ feſta cum noſtro 1. Cit. *SUIDAS* confert; Alibi enim fuſius dicendi locus erit, uti *ἴσθμια* vocarint ludos, qui in Iſthmo Corinthiaco, ubi Neptuni templum, pinuum lucô opacum olim fuit, celebrabantur; & *Νεμεακὸν ἀγῶνα*, qui in Argiæ regiuncula, non procul ab oppido *Νέμεα* funebri ritu inſtituebantur, *πυθικὸν* autem, qui Delphis, *Πυθοῖ καὶ πυθῶνος* appellationem ſortitis in honorem Apollinis, à Græcis agebantur, (de quibus omnibus plura apud Lyricorum Principem, Pindarum legi poſſunt.

§. 3. Ita de Etymologia conſtare putamus; Ad Homonymiam ſpectat, quod uti Athenis quoq; templum Jovis Olympi fuit

ruit, ita & Olympia Athenienſia dicantur, meminit eorundem *THUCYDIDES* L.1. Ἔστιν ὀλύμπια καὶ ἐν Μακεδονίᾳ, καὶ Ἀθήναις. *MEURSIUS* verò in Græcia Feriata L. V. p. 216. alia inſuper loca citat, inter quæ notabilis eſt commentatio, ad illa *PYNDARI* verba Pythonic. Od. IX.

Ἐν Ὀλυμπίοισί τε καὶ βαθυκόλπου

Γᾶς ἀέθλοις.

Ubi *SCHOLIASTES* habet: ὀλυμπίοις, οὐ τοῖς ἐν Πίσῃ νῦν. οὐ δὲ αὖ οὕτως ἔρριψεν ἁπλῶς τὸν λόγον. ἀλλὰ τοῖς ἐν Ἀθήναις. Æqui-voce item eas Olympiades Elei dictas volebant, quæ alibi, quam in eorum agro peractæ eſſent. Nam ideò, quod octava, trigeſima quarta & centeſima quarta ab iis indictæ fuiſſent, quibus fas non erat Olympiades indicere, Ἀνολυμπιάδες vocarunt; Qua de re poſteà dicendum erit.

§. 4. Explicatô nomine de Autore harum ſolennitatum ſuſcipienda eſt cura, & cum varient de eodem antiqui Scriptores, recenſendæ prius ſunt diverſæ eorum opiniones, & poſtea, de eo qui reſtauravit hos ludos, agendum. In antiquisſimis monumen-tis, ut primus autor Olympiadici certaminis, celebratur *PISUS*, quem Celeberrimus Olympiadum Scriptor *PHLEGON*, cujus fra-gmentum è Johannis Meurſii editione habemus, primô locô po-ſuit. Præter nomen autem de Piſo parum conſtat, niſi quod unus forte è Neſtoris fuerit familia, à qua Piſas eſſe conditas *STRABO* Geograph. L. V. autor eſt. Meminit autem Piſi cujusdam *PAU-SANIAS* Eliac. L.1. quando imagines impreſſas arcæ & in Junonis templo tunc conſpiciendas explicat. Ἡνιοχοῦντες δὲ συνωρίδα Πι-σός ἐστιν ὁ Περιήρους, καὶ Ἀστερίων κομήτου. *Bigas agitant Piſus Perieris & Aſterion Cometæ filius* &c:

§. 5. Celebrior Piſô fuit *PELOPS* Tantali filius, cui alii Olympica certamina primùm adſcribunt; & de Pelone quidem il-lud conſtat, quod Heroicis factis inter Græcos excelluerit, à cujus nomine nobilisſimam Græciæ provinciam Peloponneſum dici, præter antiquiores, *GERARDUS MERCATOR* & *PHILIPPUS CLU-*

*VERIUS*

*VERIUS* in Geographicis ſcriptis ſuis annotant. De eodem Pelope *PAUSANIAS* refert Eliac. L. 1. Ἡρώων δὲ τῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοσούτων προτετιμημένος ἐστὶν ὁ πέλοψ ὑπὸ ἠλείων, ὅσον ζεὺς θεῶν τῶν ἄλλων. *Præ cæteris Heroibus in Olymp. tam colitur apud Eleos Pelops, quam Jupiter præ cunctis Diis.* Et poſt pauca, quæ interjecta ſunt, pergit Pauſanias: *Memoriæ proditum eſt, cum Trojanum bellum duceretur, monuiſſe vates, non ante expugnare Ilium poſſe, quam Græci Herculis ſagittas & de Pelopis oſſibus unum comportari curaſſent. Quare & Philocteten tunc in caſtra accerſitum, & Piſa ſcopiſculum opertum deportatum,* (ἀχθῆναι δὲ καὶ τῶν ὀστῶν ὠμοπλάτην σφίσιν ἐκ πίσης τῶν πέλοπος) *Redeuntibus verò Græcis ad Euboean, navim eam, in quam Pelopis illud os fuerat impoſitum, naufragiô periiſſe. Multis deinde anni poſt Ilium exciſum, Eretrienſem Piſcatorem Demarmenum, jactô e verriculô, è mari os extraxiſſe: miratum magnitudinem, in arenis id, adnotatô locô, abdidiſſe. Veniſſe eundem Delphos ſcitatum, cujus nam eſſet os, & ad quem uſum illud à ſe conſervari oporteret. Tunc etian fatô quôdam aderant, quos Elei conſultum miſerant, quæ foret depellendæ peſtilentiæ ratio? Atq; his quidem reſponſum eſt, ut Pelopis oſſa reqvirerent; Demarmeno vero, ut quæ reperiſſet, Eleis reſtitueret. Hoc ille cum feciſſet, & alia accepit ab Eleis munera, & ei, ejusq; poſteris cuſtodia oſſi mandata eſt.* Atq; ex hac recenſione ſatis liquet, quantæ autoritati Pelopem fuiſſe oporteat, unde minus mirum hujusmodi Solennia ab eodem inſtitui potuiſſe. Porrò quô tempore illud factum ſit ex *EVSEBIO* colligendum eſt, qui in Canone Chronico à Joſepho Scaligero edito, non tantum ad annum Abrahami DCXX. anno tat: πέλοψ ἐβασίλευσεν ἔτη νγ, ἀφ' οὗ καὶ ἡ χώρα πελοπόννησος, (Pr quibus in verſione *HIERONYMI* hæc leguntur: *Pelops regnat i Græcia annis LIX. à quo Peloponneſus vocata.*) Sed ejusdem Pelopi tempora connectit Euſebius cum temporibus Ebræor. *AOD*, Aſſy riorũ *BELLEPARÆ*, Sicyoniorum *EPOPEI*, Argivorũ *LYNCEI* Athenienſiũ *ERECHTEI* & Ægyptiorum *MENOPHIDIS*. E quibu apparet, & imprimis è Numero Annorum Abrahami, Euſebium perſvaſum fuiſſe, quod Pelops regnarit, circa annum Per. Jul. 3317 M. 2553. Ante Chriſtum 1397. Obſervatis nempe iis, quæ & alibi à no

bi

is dicta ſunt, inter Per. Jul. & Numerorum Euſebianorum ini-
ium, interceptos eſſe 2697. annos ferè, inter Epocham ejusdem
eriodi Jul. & Mundi annos 764. fere, & deniq; Chriſtum anno P.
ul. 4714. ex opinione Autoris æræ vulgaris natum eſſe; qvas hy-
potheſes hoc locô præſupponimus, miramur autem *SETHUM
ALVISIUM* ad annum mundi 2634. demum inſtituti Pelopis
eminiſſe.

§. 6. Poſt Pelopem, inter Autores Olympicorum certaminum,
*ERCULEM. PHLEGON* nominat, qui Pelopis inſtitutú reno-
arit, unde nonnulli addunt, Pelopem quidem in honorem Jovis,
erculem vero in honorem Pelopis avi ſui gymnicos ludos ador-
aſſe, quæ *SOLINI* in Polyhiſtore & aliorum ſententia eſt. Eô
ſô autem, quô Herculis mentionem facimus, incertitudinem
ujus rei indicatam volumus. Verè enim *REINERUS REINECCIUS*
n Regno Mycenæo judicavit, intricatisſimam omnium eſſe Her-
ulis hiſtoriam; Nam *HERODOTUS* in Euterpe duos facit Her-
ules, Ægyptium & Græcum, *DIODORUS* tres, Ægyptium, Cre-
enſem & Thebanum: *ARRIANUS, MACROBIUS* & *EUSEBIUS*
otidem, Ægyptiũ, Tyrium & Græcum, additq; Arrianus, quæ de
erculis in Indiam expeditione perhibeantur, commentitia eſſe.
*ICERO* L. 3. de Natura Deorum Sex, quorum *primus* fuerit, qui
um Apolline de Tripode certarit. *Secundus* Nilo natus Ægyptius,
ui literarum Phrygiarum inventio adſcribitur. *Tertius* ſit ex
dæis digitis, cui inferias afferant. *Qvartus* Jovis ſit, Aſteriæ La-
onæ Sororis, quem Tyri maximè coluerint, & cujus Carthaginẽ
liam ferant. *Qvintus* in India, qui Belus dicatur, & *Sextus* The-
anus, ex Alcmena & Jove tertiò genitus. Sunt denique, qui u-
icum ſaltem Herculem fuiſſe dicunt, Thebanum nempe, ſeu Ar-
ivum, quod autem plures crediderint, famam rerum geſtarum
jus effeciſſe, & propagatam celeriter ad diverſas gentes Numi-
is opinionem & cultum. *Nam qvicqvid ubiq; magnificum eſt, in cla-
ritatem Herculis referre conſenſimus*, inquit *TACITUS*. Herodoto
ertè *PLUTARCHUS* litem movit, quod plures Hercules finxerit.

Ita enim in libro qui περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας ſ. de Herodot malignitate inſcribitur: Καίτοι τῶν παλαιῶν, καὶ λογίων ἀνδρῶν, οὐχ Ὅμηρος, οὐχ Ἡσίοδος, οὐκ Ἀρχίλοχος, οὐ Πείσανδρος, οὐ Στησίχορος, οὐκ Ἀλκμὰν, οὐ Πίνδαρος, Αἰγυπτίου ἔσχον λόγον Ἡρακλέους, ἢ Φοίνικος, ἀλλ' ἕνα τοῦτον ἴσασι πάντες Ἡρακλέα τὸν Βοιώτιον ἡμῖν καὶ Ἀργεῖον. De priſcis & doctis hominibus, neque Homerus, neq; Heſiodus, neq; Archilochus, neq; Piſander, neq; Steſichorus, neq; Alcman, neq; Pindarus ullam faciunt mentionem Ægyptii aut Phœnicis Herculis: Sed unum illum norunt Herculem noſtrum Bœotum & Argivum.

§. 7. Quicquid autem de Numero eorum ſit, qui Herculis nomine olim audiverunt, is, cui Olympici certaminis reſtauratio adſcribitur, è quinquaginta quatuor Argonautis, quos *APOLLONIUS RHODIUS* recenſet, & qui in Colchidem, ad aureum vellus auferendum, expeditionem ſuſcepiſſe dicuntur, unus fuit, ςρατηγὸς, hoc eſt, militiæ dux à reliquis Heroibus creatus, uti *DIODORUS* ſcribit. Quæ vero Argonautica expeditio illa fuerit, in qva *HERCULES* inclaruit, ipſi Græci ſcriptores parum conſentiunt. Antiqvus Scriptor *CHARAX PERGAMENUS*, qui poſt Auguſti ævum vixiſſe dicitur, citatus ab *EUSTATHIO* Commentariis in Dionyſii Περιήγησιν, dixit, τὸ χρυσοῦν δέρμα μέθοδον εἶναι χρυσογραφίας, μεμβράναις περιειλημμένην; δι' ἣν, ὡς λόγου ἀξίαν, τὸν τῆς Ἀργοῦς καταρτισθῆναι στόλον φησίν, Auream pellem fuiſſe tractatum de artificioſa ratione conficiendi auri, membranis comprehenſum: propter quem, ut magni rem pretij, Argonauticam expeditionem factam eſſe ait; Idem *SUIDAS* tradit, in voce Δέρας. Τὸ χρυσόμαλλον δέρας ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχων ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν. *Vellus aureum*, inquit, *quod Jaſon & Argonautæ Colchos per mare Ponticum profecti abſtulerunt, liber fuit in pellibus ſcriptus, qui continebat artem auri per chimiam conficiendi.* Rectius longè mihi ſentire videntur, qui ad divitias Colchorum reſpexiſſe veteres tradunt. Succurrit mihi *STRABONIS* locus, L. XI. Geographiæ extans, ubi

ubi de incolis Caucaſi, quos *SOANES* vocat, inquit: παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάῤῥους· ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους, φάτναις κατατετρημμέναις, καὶ μαλλωταῖς δοραῖς. ἀφ' οὗ δὴ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. *Ajunt apud hos etiam aurum deferri à torrentibus, idq; barbaros excipere alveolis perforatis, & velleribus lanoſis: unde etiam aurei velleris extiterit fabula.*

§. 8. Sed tranſigant inter ſe de Argonautica expeditione, & aurei velleris raptu, μυθόγραφοι; Nos locum *DIODORI SICULI*, de ludis gymnicis, ab Hercule in Eleorum agro inſtitutis, cujus occaſione hâc digreſſione uſi ſumus, è *RODOMANNI* verſione recenſemus: *Cum Argonautæ*, inquit, *in ſuam quisq; Patriam reditum adornarent, Herculem hoc conſilii ſubjeciſſe ferunt, ut ad mutuum ferenda auxilia juramento ſe obſtringerent, ſi quando, (ut inopinata ſunt fortunæ vices) aliquis cæterorum ope indigeret, nobiliſſimum etiam Græciæ locum ad ſolemnium editionem ludorum, & communem omnium Græcorum conventum, deligerent, eumq; Jovi Olympio Deorum maximo dedicarent. Cum igitur Optimates in ſocietatem hanc bellicam conjuraſſent, & ludorum inſtitutionem permiſiſſent Herculi; ipſe præ aliis Eleorum campos ad Alpheum Panegyricis ſolemnitatibus deſtinavit; totamq; regionem Jovi maximo conſecratam, Olympiam ab eo nominavit. Tum equeſtri & gymnico certamine inſtituto, præmiisq; ordinatis, Theoros, qui ludorum ſpectacula civitatibus indicerent, dimiſit &c.* De Herculeo hoc certamine non omnino *PLUTARCHUS* tacuit in vita Theſei, dum enim hunc Iſthmiorum autorem fuiſſe meminit, Herculis obliviſci noluit: Τὸν ἀγῶνα πρῶτος ἔθηκε Θησεὺς, κατὰ ζῆλον Ἡρακλέους, ὡς δι' ἐκεῖνον Ὀλύμπια τῷ Διΐ. καὶ δι' αὐτὸν Ἴσθμια τῷ Ποσειδῶνι φιλοτιμηθεὶς ἄγειν τοὺς Ἕλληνας. *Ludos Herculis imitatione primus ſtatuit, ambiens, ut ſicut in illius memoriam Jovi Olympia, ita Iſthmia Neptuno Græci in honorem ſuum agerent.* Parum cum his convenire *PAUSANIAS* videtur. Nam Eliac. L. 1. ait: Saturnum primum omnium cœli regnum obtinuiſſe, & ei in Olympia homines eos,

quod aureum genꝰ nuncupatum eſt, templum ddeicaſſe. Poſt hæc recens natum Jovem, Rheam matrem Dactylis Idæis, qui Curetes aliô nomine appellati ſunt, commendaſſe: veniſſe illos poſtea ab Ida Cretæ monte in Elidem: fratres hos fuiſſe: Herculem, Pæoneum, Epimedem, Jaſium & Idam. *HERCULEM*, ut qui natu maximus erat, curſus certamen fratribus per luſum propoſuiſſe, victoremque Oleaſtri coronâ donaſſe. Autorem igitur iſtorum ludorum HERCULEM IDÆUM celebrari aſſerit, qui quinquennales inſtituerit, eò quod fratres quinque numero fuerint. Hæc & multa alia partim à propria, partim ab aliorum recenſione multum differentia, allegat *PAUSANIAS*, è qua titubatione illud colligitur ipſis Græcis Scriptoribus de origine horum ludorum parum conſtitiſſe, atque ideò Nobis *STRABONIS* Ἐπίκρισις placet, qui L. VIII. Geograph. *Omittenda ſunt*, inquit, *vetuſta, quæ & de Autore templi & inſtitutione certaminis feruntur: Aliis autorem Herculem facientibus, unum de Idæis Dactylis, aliis Herculem Jovis & Alcmenæ filium, qui & certaverit primus & vicerit.* Τὰ γὰρ τοιαῦτα πολλαχῶς λέγεται, καὶ ȣ̓ πάνυ πιστεύεται. Nam TALIA SOLENT ET VARIE DICI ET NON ADMODUM CREDI.

§. 9. De *IPHITO* breviter dicendum reſtat, quem ludos Olympicos non tantum reſtauraſſe ferunt, ſed ab ejus temporibꝰ, nullâ priorum, quos hactenus recenſuimus, ratione habitâ, quidam deducunt. *Certamen Olympicum*, ait *Cajus Julius Solinus* in Polyhiſtore cap. 2. *quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermiſſum, Iphitus* (in nonnullis exemplaribus vitiosè legitur Iphiclus) *filius ejus inſtauravit, poſt excidium Trojæ anno quadringenteſimo octavo. Ergo ab Iphito numeratur Olympias prima.* De parte Iphiti agit *PAUSANIAS* L. cit. Inſcriptio, inquit, quæ in Olympia eſt, Iphitum teſtatur Hæmonis filium fuiſſe, Græcorum plerique non Hæmonis eum, ſed Praxonidæ filium dixerunt. Priſca Eleorum monumenta ejus patrem eôdem appellant nomine. Ut in Seculum Iphiti eo expeditius inquirere queamus, neque illud prætereundum eſt, quod Pauſanias addat, Iphitum hunc

Lycurgi

curgi *σύγχρονον* fuiſſe, quod Ariſtotelem teſtatum eſſe, *LUTARCHUS* in vita Lycurgi refert: *Alii Iphiti temporibus claſſe Lycurgum, feriasq; Olympiacas una ſecum confeciſſe tradunt, rum eſt & Ariſtoteles Philoſophus, conjecturam trahens ex eo di-, quô in Olympiacis ludis utebantur. In illo enim Lycurgi nomen iſum conſervatur.* Et paulo poſt circa finem hiſtoriæ de vita curgi: Dicunt quidam, (veluti Hermippus meminit) Lycurm neque adfuiſſe ab initio, neq; ſocium extitiſſe in iis, quæ ſunt Iphito conſtituta, ſed interfuiſſe aliqua ex cauſa profectum que ſpectantem. Audiſſe autem vocem, tanquam hominis aujus à tergo illum increpantis, admirantisque quod cives non hortaretur ſimul cum aliis celebritatis participes fieri. Conſum autem Lycurgum, cum, qui locutus fuerat, nusquam appaet, Numen fuiſſe arbitratum, ſic ad Iphitum concesſiſſe, comnique ſtudiô feſtivitatem illuſtriorem & firmiorem conſtiſſe.

§. 10. Inquiramus ex his datis & aliorum teſtimoniis in iti ætatem, Annô quadringenteſimo octavo à Trojano excidio itum claruiſſe ſcribit *SOLINUS*, quem alii, uti vidimus, Lycur-*σύγχρονον* faciunt. At quomodo cohærent hæc? Excidium ojanum incidit, uti alibi oſtendimus, in annum P. Jul. 3530. addantur quadringenti & octo anni, quot interceptos eſſe Poiſtor ſcribit, devenimus ad annum P. Jul. 3938. quô equidem ympias prima acta eſt, ſed non ab Iphito, verùm à ſucceſſoribus s, de quibus jam jam dicemus. Porrò Lycurgi ætatem cum te Regis Iſraelitarum Jehu, & Aſſyriorum Ophratenes, ad annætatis Abrahæ 1130. circiter, connectit *EUSEBIUS* in Cron. r. poſter. Ita floruiſſent Lycurgus & Iphitus, quos *συγχρόνυς* ſe diximus, circa annum Per. Jul. 3827. & ſubſeq. annô ergo 8. & ita centum annis ſerius Olympicos ludos, à quibus Epocha æcorum deducitur, inſtituere non potuerunt. Itaque neceſſe ut dicamus, ne à temporibus Iphiti quidem Olympiadica cerina ſtatutis temporibus continuata, ſed uti prius factum erat,

ob Reipublicæ calamitates vel alias cauſas, intermiſſa eſſe, uſq; ad *ELEI COROEBI* tempora, quem curſus certamine primùm viciſſe *PAUSANIAS* teſtatur. Suppeditat clavem in hac difficultate *PHLEGON*, de Olympiis ſequentia annotans: Μετὰ Πεῖσον καὶ Πέλοπα, ἔτι δὲ Ἡρακλέα, τοὺς πρώτους τὴν Πανήγυριν καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιάσιν ἐνστησαμένους, ἐκλειπόντων τῶν Πελοποννησίων τὴν θρησκείαν χρόνῳ τινὶ, εἰς ὃν ἀπὸ Ἰφίτου Ὀλυμπιάδες ὀκτὼ πρὸς ταῖς εἴκοσι καταριθμοῦνται εἰς Κόροιβον τὸν Ἠλεῖον, καὶ ἀμελησάντων τοῦ ἀγῶνος, στάσις ἐνέστη κατὰ τὴν Πελοπόννησον &c. *Poſt Piſum, Pelopem atq; Herculem, qui primi ſolemnem conventum ac certamen Olympicum inſtituerant, cum Peloponneſii eam feſtivitatem aliquamdiu intermiſiſſent, per id ſcilicet tempus, quod ab Iphito ad Coroebum uſq; Eleum duodetriginta Olympiadum numeratur, certamenq; neglexiſſent, ſeditio in Peloponneſo fuit coorta &c.* Ait Phlegon ab Iphito ad Corœbum viginti & octo Olympiades agi debuiſſe, oportet ergo 112. annos interceptos fuiſſe, quot etiã ſuperius produximus, quando de loco Euſebii agebamus. Inſtituit ergo Iphitus ludos Olympiadicos annô Per. Jul. 3826. Sed cum negligenter eosdem agerent Græci, novâ calamitate preſſi tandem ab anno Per. Jul. 3938. conſtantes eſſe in hiſce certaminibus cœperunt, revera annô, ab excidio Trojano, quadringenteſimo octavo, uti Solinus tradidit, à quo *EUSEBIUS* in Canone Chron. bienniô ſaltem differt, quando à captivitate Trojæ uſq; ad primam Olympiadem annos CCCCVI. numerat; Primam intelligens, non tempore, ſed dignitate, uti *JOSEPHUS SCALIGER* Animadv. in Euſeb. p. 356. commentatur, vel reſpectu uſus Chronologici, qualem ante Corœbum celebratæ Olympiades nullum habuerunt, quod poſtea tamen factum eſt.

§. 12. Explicanda nunc ſunt *CERTAMINUM GENERA*, quæ in Olympia Athletæ iniverunt. Agit de iisdem *PAUSANIAS* Eliacorum primô, quando infit: Δῆλον δὲ ἐξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς Μνήμαις ἐπὶ ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐστὶ, ΔΡΟΜΟΥ μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον,

ον, καὶ Ἠλεῖ@ κόροιβ@ ἐνίκα. Manifeſtum eſt quod quantum
ontinuatas Olympiades hominum memoria conſequi poteſt,
CURSUS primum certamen inſtitutum eſt, in quo vicit Eleus Co-
œbus. De eodem certamine *PINDARUS* in Olymp. Od. 1.
anit;

Τὸ δὲ κλέ@
Τηλόθεν δέδορκε τᾶν Ὀ-
λυμπιάδων, ἐν δρόμοις
Πέλοπ@, ἵνα ταχυ-
τὰς ποδῶν ἐρίζεται,
ἀκμαί τ' ἰσχύ@ θρασύπονοι.
Ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον
Ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν,
ἀέθλων γ' ἕνεκεν.

*Gloria autem*
*eminus conſpicitur O-*
*lympiadum, in curſibus*
*Pelopis, ubi velocitas pedum certat,*
*vigoresq; roboris in laboribus audaces.*
*Qui autem vincit, reliqua in vita*
*habet mellitam ſerenitatem,*
*præmiorum victoriæ gratia.*

cilicet animadvertunt omnes curſû exercitatos ad militaria offi-
ia perquam aptos eſſe, unde non Græci tantùm ſed Romani quo-
ue Juvenes ad curſum aſſveſacere ſoliti ſunt, certè in Ludis Cir-
enſibus, qui apud Romanos, quædam veluti effigies ludorum
Græcorum, & præſertim Olympicorum erant, curſu certabant,
uem currendo certa ſtadia in campo, ad metam deſtinatam usq;
eragebant. Quæ omnia ita ordinarunt Veteres, ut quemadmo-
um *FLAVIUS VEGETIUS* L. 1. de re militari c. IX. explicat, cum
najori impetu in hoſtem procurrerent, ut loca oportuna celeri-
er, cum uſus advenerint, occupare, vel adverſariis idem facere
volen-

volentibus præoccupare diſcerent, ut ad explorandum ala
criter pergerent, alacrius redirent, ut fugientium terga faciliu
comprehenderent, & qui alii fuerunt, atq; ad hunc diem usqu
militares curſus ſunt uſus. Ad ſaltum etiam, inquit Vegetius
quo vel foſſæ tranſiliuntur, vel impediens aliqua altitudo ſupera
tur, exercendus eſt miles; nt cum ejusmodi difficultates evene-
rint, poſſit ſine labore tranſire. Præterea in ipſo conflictu & di
micatione telorum bellator cum curſu ſaltuque veniens, adverſa
rii perſtringit oculos, mentemque deterret, priusquàm plagan
infligit, quam ille ad cavendum vel ad reſiſtendum certè ſe præ
paret.

§. 12. Curſui ſimplici additus eſt Olympiade XIV. ΔΙΑΥ
ΛΟΣ, Ita enim *PAUSANIAS* locô citô: Ὀλυμπιάδι δὲ ὕστερον τε
τάρτῃ καὶ δεκάτῃ προσετέθη σφίσι δίαυλος. Ὕπηνος δέ ἀνὴ
Πισαῖος ἀνείλετο ἐπὶ τῷ διαύλῳ τὸν κότινον. *Olympiade ver
quartadecimâ additus eſt duplicati Stadii curſus, è quo, acceptâ ex O
leaſtro coronâ, victor discesſit Hypenus Piſæus.* Δίαυλος vocabatu
hoc certaminis genus à δὶς & αὐλίζεσθαι, quod ab αὐλὸς deſcen
dit, quâ voce fiſtula propriè notatur, & poſteà omnis meatus lon
gus, & porrectus, ſ. figura quævis in rectitudinem producta, quali
etiam Stadium eſt. Duplicabatur ergo curſus, obeundo ſcilice
ſtadium, & mox regrediendo. Confert *Pauſanias* Eliac. I. διαυλο
cum ſcriptione, quæ βουστροφηδὸν fit, ſeu converſis lineis, (à bo
um repetitis actibus in Sulco) deſcribens enim arcam quandam
in Olympia literis ſignatam, inquit: Τῶν δ' ἐπὶ τῇ λάρνακι ἐπι
γραμμάτων ἔπεσι τοῖς πλείοσι γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις γε
γραμμένα. Καὶ τὰ μὲν ἐς εὐθὺ αὐτῶν ἔχει. σχήματα δὲ ἄλλ
τῶν γραμμάτων, βουστροφηδὸν καλοῦσιν Ἕλληνες. Τὸ δὲ ἐστι τοιό
δε. Ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον
ὥσπερ ἐν διαύλῳ δρόμῳ. *ROMULUS AMASÆUS* reddit: *In arc
inciſæ ſunt priſcis literis inſcriptiones, rectô ordine & uſitato ſcribent
bus quædam, aliæ in gyros revolatæ. A ſuperiore enim verſus fine con
tinenter ſinuatur ad ſequentis initium verborum ſeries, eâ nempe for
mâ, quæ eſt iterati curriculi, quem Diaulum appellant.* Memin

eju

isd em certaminis *PINDARUS* in Pythionicis; Nam εἶδ☉ deci-
ιum inſcriptum eſt Hippocleæ Theſſalo, Pilinnæati Διαυλοδρόμῳ
in hunc Pyndari locum *B. SMIDIUS* explicat, quid ſit ὅυςροφὴν
ἐν ſcribere, per quam comparationem Διαύλοι Pauſanias expli-
averat. Nempe verba ordinare hôc modò

ἀρχὴ σοφίας ὁ
φ
όβ☉ τῦ κυρίε.

§. 13. Neq; verò his exercitiis contenti fuerunt Græci, quin
otius in ſubſequentibus Olympicos novos ludos addiderunt
el obſoletos innovarunt & in XVII. quidem ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ καὶ
ΑΛΗΝ, de quibus ita Pauſanias: Ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδόης καὶ δεκά-
ης Ὀλυμπιάδ☉ πεντάθλε καὶ πάλης ἀφίκοντο ἐς μνήμην. Καὶ
ἡ μὲν Λάμπιδι ὑπῆρξεν Εὐρυβάτῳ δὲ ἡ νίκη τῆς πάλης, Λακε-
αιμονίοις καὶ τέτοις. *At decimâ octavâ Olympiade, quæ jam exole-
erant certamina QVINQVERTII & LUCTÆ, reſtituta ſunt. Quin-
uertii Lampidi, luctæ præmium Eurybato, utriq; Lacedæmonio obtigit.*
De lucta prius dicemus, cum ſine hac quinquertium intelligi ne-
queat. Πάλην ergô ſeu *LUCTAM* dicebãt, quæ, ut *ARISTOTELES*
nnotat. Lib. I. Rhetor. c. V. τῷ θλίβειν καὶ κατέχειν perficiebatur,
ἐ παλαςαὶ S. Luctatores nudi congrediebantur, & nonnun-
quam inuncti, tum quod unguentis robur aliquod membris addi
utarent, tum quod lævore obductum corpus difficilius ab ἀντι-
πάλῳ prehendi posſit. Meminit hujusmodi certatorum *CICERO*
L. V. Tuſcul. quæſt. *Adoleſcentium greges,* inquit, *Lacedæmone vi-
dimus ipſi, incredibili intentione certantes pugnis, calcibus, ungvibus,
morſu denique, ut exanimarentur prius, quam ſe victos faterentur.*
Declarari Luctatorum vehementia poteſt è πλατανίςων deſcripti-
one, quam *UBBO EMMIUS* in Rep. Laconum è Pauſania potiſ-
ſimùm exhibet. Scilicet πλατανίςα, ex loco, denſis & proceris
platanis per ambitum obſito, ſic dicta, ludi erant ſerii, in lucta
maximam partem conſiſtentes. Certaturi nimirum bifariam ſe di-
videbant: utriq; ſub Duce ſuo ex ipſis delecto, noctu in Ephebe-
jum

jum ſuburbanum coibant, atque ibi cane, ab utrisq; ad aram ma
ctato, & captandi ominis ergò duobus apris infeſtis inter ſe com
miſsis, quorum is, qui alterum ſuperabat, putabatur ſuis victor
am portendere, per id quod reliqvum erat noctis, quieſceban
Poſtridie paulo ante meridiem in certaminis campum utriq; pro
cedebant, inſulæ inſtar Euripo circumfuſum, nec niſi per ponte
ingreſſui patentem. In quem cum deveniſſent per pontes dive
ſos ſortitò jam ante utriq; deſignatos, pugnam ordiebantur ac
infeſtamque, in qua vir viro primum congrediebatur, manibu
calcibus, dentibus, unguibus, denique ſe mutuò impetentes, n
ab eruendis oculis, ſi poſſent, ſibi temperantes. Mox denſa
quoque totis agminibus in ſe ferebantur, mutuoq; in Euripu
præcipites ſe agere ſummis viribus nitebantur; pugnabant pert
naciſſimè; cedere & victos ſe fateri habebatur turpiſſimum
potiusque ad mortem decertantes perdurabant, quam ut hoc d
decus in ſe reciperent. Hæc veterum Græcorum erat πάλη S. L
cta, quam poſteà Romani imitati ſunt, uti in ſimili themate
aliquando explicabimus.

§. 14. Quod πένταθλον concernit, quem in eadem Oly
piade cum πάλη reſtitutam eſſe, *PAUSANIAS* ſcribit, è voce ip
apparet, compoſitum fuiſſe hoc certaminum genus è quinq
aliis certaminibus ſeu exercitiis, unde *POLLUX* L.3.c.30. πέντ
θλον deſcribit, quod ſit ὁ πέντε ἀγωνιζόμενος, hoc eſt, qui qui
que certaminum generibus decertabat. Erant autem quinq
illa genera illa. πυγμὴ, πάλη, ἅλμα, δίσκος & δρόμος, *Cæſt
lucta, ſaltus, lapidis jactus, & curſus.* Conf. *MARTIN. ANTO*
*DELRII* Syntagma Tragicum & imprimis commentarium
Herculem Furentem. Latini ad imitationem Græcorum huju
modi Athletam QUINQUERTIONEM vocabant, ludum ve
ipſum Quinquertium. Cœterùm paulo aliter vocem *SUID*
explicat, non corporis ſed animi exercitia reſpiciens, quando
verbum: πένταθλος: ſequentia commentatur: ὁ δημόκριτος
ἀνδηρίτης, ἤσκητο, γὰρ τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ,

ἐγκυκλίυς λόγυς, καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν εἶχεν ἐμπειρίαν. *Sic di-*
*eſt Democritus Abderites, Callebat enim Phyſica, Ethica, Mathe-*
*ica, diſciplinarum orbem* (ἐγκυκλίυς λόγυς; ipſe Suidas in Demo-
o explicat per μυσικά, eoque infert poeſin, vocabulorum ex-
ationem, & alia, quamvis alii voce ἐγκυκλοπαιδείας latius uſi
, de quibus videatur *GERHARDUS JOHANNES VOSSIUS* de
lolog. c.1.) artiumq; omnium peritus erat. Similiter Latini
nquertionis vocabulo nonnunquam latius utuntur, imponen-
illud cuivis, qui in rebus agendis expeditus eſt & promptus,
acceptiones hujus loci proprie non ſunt, ubi ſpeciatim de ex-
itiis corporis, quæ Veteres inſtituerunt, agemus.

§. 15. Pergit *PAUSANIAS* in nominandis Olympicis cer-
ninibus: Τρίτη δὲ Ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ Πυγμῆς ἆθλα ἀπέδο-
. *Tertiâ dehinc & viceſimâ Olympiade CÆSTIUM ludicrum in-*
*utum eſt.* Quamvis enim πένταθλον comprehenderit hoc
taminis genus, ſeorſim tamen πυγμὴ demum in vigeſima tertia
ympiade introducta eſt, ſicuti & πάλης in Olymp. 18. Quale
tamen illud fuerit, vocabulum indicat, quod è *POLLUCE*
, c. 4. explicabimus: αὖ δὲ συγκλείσης τὴν χεῖρα, τὸ μὲν ἔξωθεν
λεῖται πυγμὴ, ὅθεν καὶ ὁ πύκτης, καὶ τὸ πυκτεύειν. *Si vero ma-*
*n clauſeris, exterior pars PUGNUS vocatur, unde pugil, pugnare*
. E quibus verbis apparet luctæ ſpeciem quandam πυγμὴν fuiſ-
quâ athletæ mutuis pugnis ſe mutuò acceperint, unde Suidas
γμὴν per πάλην explicat. Meminit ejusdem certaminis *PIN-*
*ARUS* in Olympicis:

Δόρυκλος δὲ τέλος
πυγμᾶς φέρε

*riclus verò finem pugilatus reportavit*, quô viciſſe eum in-
cat.

§. 16. Meminit quidem Pauſanias aliorum & pene multo-
n certaminum quæ Olympicorum tempore inſtituta ſint qua-
fuerunt ἵππων τελείων δρόμος, ἵπποι κέλητες, ὁπλιτῶν δρόμος,
ήνης, κάλπης & ſimilia, ne tamen nimium excreſcat pagella-
m numerus, & quia de horum certaminum ratione pauca con-

ſtant, eademque jam Pauſaniæ tempore in perpetuo uſu non fuerunt, de Diſco ſaltem & Pancratio adhuc dicemus. ΔΙΣΚΟΣ generale vocabulum eſt, quô non tantum vas latum, ad portandas carnes aptum, ut *POLLUX* παραφράζει, nec ςόλος *SUIDÆ*, ſed rotundum corpus, vel quod aliquatenus ſaltem ſphæricam figuram habet, ſignificatur; Nam & hodie Diſcus Solis, Diſcus Lunæ notisſimæ ſunt voces. Enimvero Diſcus, qui certaminis Olympici ſpeciem fecit, erat moles quædam σφαιροειδής, quam ii, quibus adhuc integrum erat naturæ robur, projiciebant, palmam ferente, qui aut altius in ſublime, aut longius in tractu ultra deſignatum ſpatium projeciſſet. Adhibuiſſe autem videntur Græci in hoc certamine lapidem quendam, ideo enim in Onomaſticis Δίσκος explicatur, quod fuerit βαρὺς λίθος, gravis lapis, & *PINDARUS* Iſthinc. Od. 1. Saxeum diſcum dixit, quando cecinit:

*Οἷά τε χερσὶν, ἀκοντίζοντες αἰχμαῖς,*
*καὶ λιθίνοις ὁπότε δίσκοις, ἱεν!*

*Item! qualiter manibus jaculantes haſtis,*
*& ſaxeis quandoq; Diſcis, emiſerunt!*

Iſtos ſaxeos diſcos ἀποτομάδες dici conſveviſſe, Scholiaſtes notat, additâ nominis ratione hâc; quia olim victori tantum ἀπετέμνετο telluris in patria, quantum ſpatium jaciendo emetiri poterat: Innotuit hoc ludorum genus etiam Latinis Scriptoribus; Ita enim de eodem *OVIDIUS* L. X. Metamorph.

*Corpora veſte levant, & ſuccô pingvis olivæ*
*Splendeſcunt, latiq; ineunt certamina diſci.*
*Quem prius aëreas libratum Phœbus in auras*
*Miſit, & oppoſitas disjecit pondere nubes,*
*Decidit in ſolidam longo poſt tempore terram,*
*Pondus, & exhibuit junctam cum viribus artem.*

§. 17. Denique inter prima & decantatisſima Olympica certamina numeratur merito ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ, quô qui certabat

παγ-

ἐγκρατιαστὴς item παγκρατιαστικὸς vocabatur: De ejuſdem o-
gine ita Pauſanias : Ογδόῃ δὲ ἀπὸ ταύτης Ὀλυμπιάδι ἐδέξαντο
αγκρατιαστὴν τε ἄνδρα, *Octavâ poſt hanc Olympiade introduxe-
nt Pancratiaſten.* Meminerat autem antea Olympiadis XXV.
qua introductus fuerit ἵππων τελείων δρόμος, ut Pancratia-
s oporteat prodiiſſe Olympiade XXXII. In quo autem conſti-
rit Pancratiaſtarum certamen, ſuccinctè *SUIDAS* explicat:
*ncratiaſtæ*, inquit, *athletæ, pugiles, qui manibus pugnant & pedi-
s.* Compoſitum ergò hoc certandi genus erat, non quidem è
uinque, ſed duobus exercitiis, πυγμῆ καὶ πάλῃ, vel uti alii ad-
int, δρόμῳ quoque. Quamvis enim ſint qui παγκρατιαστὰς
m πεντάθλοις confundant, quod in Græca philologia verſatiſ-
mum Virum *GUIL. BUDÆUM* feciſſe, mirum, de differentia
men non tantum Pauſanias ſed & alii luculenter teſtantur,
inter hos *ARISTOTELES* imprimis, qui L. 1. Rhetor. c.V. ait:
γωνιστικὴ δὲ τοῦ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰ-
ος καὶ τάχους. Καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν· ὁ γὰρ δυ-
άμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ, καὶ πόῤῥω δρο-
ικός. Ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν παλαιστικός· ὁ δὲ ὦσαι τῇ
ληγῇ πυκτικός· ὁ δ' ἀμφοτέροις τούτοις Παγκρατιαστικὸς, ὁ
πᾶσι Πένταθλος. Confer *RHODIGINI* Antiq. Lect. L.XIII.
XXX. Nos de certaminibus corporis commentationem Pau-
niæ de ſuis temporibus recenſione finimus: *Mactatis DEO victi-
s*, inquit, *quinquertii primùm & curſus, deinde equorum certamina
mmittuntur; atq; ita eſt ſeptimâ & Septuageſimâ Olympiade inſtitu-
m: Nam antea eadem die & equi & homines inducebantur. Pan-
tiaſtæ tunc ſub noctem prodibant, neq; enim ſatis maturè poterant
erſiri.*

§. 1. Præter corporis exercitia animum quoque videntur
rcuiſſe Olympici certatores. Ita enim de Herodoto *SUIDAS*
ert, quod in Olympico conventu, Hiſtoriarum libros novem,
tidem Muſarum nominibus inſcriptos, publicè recitarit: quæ
Thucydidi, puero adhuc, & auſcultanti, tantum ſtimulum in-

 flixit,

flixit, ut Zelô quodam incitatus lacrymas effuderit, quod animadvertens Herodotus, Patri Oloro, de filii generoſitate gratulatus & inſignem eum aliquando evaſurum, non falsò ominatus eſt. Similiter *PAUSANIAS* Eliacorum Libr. 3. hujusmodi in ludo literario celeberrimi Athletæ meminit, qui in Olympicis inclaruit: Οὗτος ὁ Γοργίας πατρὸς μὲν ἦν καρμαντίδου, λέγεται δὲ ἀνασώσασθαι μελέτην λόγων πρῶτος ἠμελημένην τε ἐς ἅπαν, καὶ ἐς λήθην ὀλίγοις δὲ ἥκουσαν ἀνθρώποις. Εὐδοκιμῆσαι δὲ Γοργίαν λόγων ἕνεκα ἔν τε πανηγύρει τῇ Ὀλυμπικῇ φασι, καὶ ἀφιλόμενον κατὰ πρεσβείαν ὁμοῦ Τισίᾳ παρ' Ἀθηναίους. Natus eſt Gorgias Patre Carmantide, & primus neglectam adhuc dicendi ex arte rationem excitaſſe dicitur & ab hominum oblivione vindicaſſe. Dedit magnum eloquentiæ ſpeciem Gorgias, & in Olympiæ celebritate, eo in ea legatione, quâ functus eſt, Tiſiæ collega apud Athenienſes. Huc pertinet, quod *ÆLIANUS* L. 2. c. 8. Xenoclem & Euripidem Olympiade nonageſimâ primâ Dramatibus certaſſe annotat, & *CLEOMENES* in Olympiis, Empedoclis quædam ῥαψῳδῆσαι ſcribitur ab Athenæo Lib. XIV.

*Atque hæc de Olympico agone in præſenti adduxiſſe ſufficiant; quæ in uberrimâ hâc materia reſtare videntur, proximâ quavis occaſione ſubjungemus.*

T. Θ. Δ.

---

*Ad PerEximium atq; Præſtantiſſimum*

DN. WOLFGANGUM JACOBUM FRÖLINGIUM

Philoſophiæ Candidatum digniſſimum, Amicum atq; Commenſalem honoratiſſimum.

GAudia Victori Certamina Olympica quondam
Magno ferebant munere.
Namq; laboranti debetur pulchra corona,
Movent laborem præmia.

Cer-

Certat Olympiacas repetens FROLINGIUS artes,
Mox arte ſumet præmia.
Gratulor his auſis, cœleſti ſidere plura
Tibi grata currant munera!
*JOHANNES* Deutſchman D.

---

*Quod quoq; magnanimo velis inſudare labori*
*Acer, FROLINGI, cupiens te credere fama:*
*Næ grator curæq; tuæ, genioq;. Triumphans*
*ola ſolet ſic fama peti, quæ durat in ævum.*
*Dum ſtabit mundus ſtabunt monumenta Sophorum,*
*Quiq; hæc ipsa piá ſectantur mente. PERENNIS*
*IDCIRCO CAPIES PRÆCONIA MAXIMA FAMÆ.*
Præſtantisſimo Dno. Reſp. gratulab. hiſce
*ÆGIDIUS* Strauch *P.P.*

---

Quæ Pelopis fuerint inventa celebria quondam,
FROLINGI repetis ſponte labore gravi.
Victor Olympiacus certum carpebat honorem
Græcorum votis, ſplendida dona ſibi.
Hæc tibi decernet CLARISSIMA TURBA SOPHORUM,
Vincere dum reliquos niteris arte tua.
Hæc
*PerEximio & Præſtantisſimo Dn. Reſpondenti, Dignisſimo*
*Philoſophiæ Candidato Amico & Commenſali ſuo intimo appoſ.*
M. Jeremias Deutſchman / Jüterboc.

---

CARMEN TURCICUM

*Ok kilitſch, jokde balda*
*Ema Akilük, Zuna,*
*m nasſihat, ja duſtum,*
*iler oll opuſchelum:*
*ingikden Urumlarung,*
*Naßhatdan akülerung*
*Tſchok hatſchan ſen deverſen.*
*olla kimſen dilerſen*

Non enſis & bipennis,
Sed ars & alma virtus
Certamen, ô amice,
Tuum hocce promovebunt?
Dum multa docta profers
Certando de pelasgum
Certamine. En! Jehova
Te proſperet beetq;.

M. Auguſtus Pfeiffer / Lavvenburgo-Saxo.

DIc (age:) quæ replicas iteratas, Nympha; loquelas
Ecquid proficimus divitiis? vitiis.
Qui ſibi opes cumulat miſerè violando miſellos,
Quomodo privatus poſt modò deget? eget.
Qui paſcit gentes, urbes & regna; laborum
Præmia numne refert certa colonus? Onus.
An Frôlinge capis ſtudiorum digna brabea?
Laurus nonne aderit, quam ſibi quærit? erit.

*Hermannus Cron Hamb.*

---

*INcluta ſub Græcis juvenilis gloria quondam,*
*Nervorum vires exſeruiſſe, fuit.*
*Æmula quò virtus fieret manifeſtior orbi*
*Solennes ludos inſtituere Patres.*
*Hic robur valuit: Sed tu, certamine pulchro,*
Frôlingi, *pariter ſigna datutus eris,*
*Incultum haudquaquam ingenium, mentemq; ſagacem,*
*Non magis obſcuro poſſe latere loco.*
*Altior en! animus promittit maxima quævis,*
*Quæ cedro digna, &* Veris *honore reor.*
*His multas per Olympiades Patriæq; tuisq;*
*Proſperior tandem commoda multa feras.*

Nicolaus Piningius Crempâ Holſatus.

---

GRator! macte novis, ô pectus nobile, cæptis;
Frôlingi, Aôniis ora rigate vadis!
Ecce triumphales agitat Sapientia currus,
Egregiasq; facit cum Jove Diva vices.
Ipſa novos Pallas animos capit, ipſa labores
Explicat, & laudes Virgo-Patrima ſuas.
Panduntur curarum ædes, panduntur honorum;
Utraq;, ſed ſociô limine templa patent.

Gerhardus Biſchoff/ Hildeſienſis.